

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3660

Auteur(s) : Paris (official)

Bénéficiaire(s) : Louis IX, France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1265, 4 septembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'official de Paris fait savoir que Philippe dit le Vitrier et sa femme Agnès, fille héritière de feu Henri Plastrard, ont reconnu avoir vendu à Louis [IX], roi de France pour 40 livres parisis tous les droits qu'Henri et ses héritiers ou successeurs avaient sur le monnayage du parisis en deçà de la Loire, excepté Artois, Vermandois, Normandie, Anjou, Poitou, Touraine et Maine, pays acquis par lui et son père roi Philippe [III].

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 709, p. 155.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Parisiensis, salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra presentia constituti Philippus dictus Vitrearius et Agnes, ejus uxor, filia quondam et heres defuncti Henrici Plastrard, recognoverunt se vendidisse et im perpetuum quitavisse excellentissimo domino nostro Ludovico, Dei gratia, illustrissimo regi Francorum, et successoribus ejus regibus Francorum, pro quadraginta libris parisiensium, de quibus tenuerunt se coram nobis pro pagatis, omne jus quod ipsi vel heredes sui seu successores sui habebant vel habere poterant quoquo modo in cuneis monete parisiensis, quos, inclite recordationis, Ludovicus rex, genitor ipsius domini regis, qui modo est, prenominato, Henrico Plastard, patri quondam ipsius Agnetis, et heredi suo scienti facere cuneos hujusmodi monete olim concesserat faciendos et habendos citra Ligerim, exceptis acquisitionibus pie recordationis regis Philippi, genitoris sui, et suis, Attrebatensi, videlicet, Viromendensi, Normannia, Andegavia, Pictavia, Turonia et Cenomania et aliis acquisitionibus, in quibus moneta fabricatur, ita quod idem Henricus vel heres ejus sciens facere cuneos monete parisiensis, debebat habere tres solidos de singulis duobus trossellis et una pila, et monetarii debebant pagare custum fabricae de cuneis monete quamdiu fabricaretur moneta, et si heres dicti Henrici nesciret facere cuneos monete, idem heres debebat eos facere fieri per assensum ipsius regis et per consilium eorum quos ad hoc duceret statuendos, prout hec omnia in carta ipsius regis super hoc confecta dicebantur plenius contineri, et promiserunt prefati Philippus et Agnes, uxor sua, filia et heres dicti Henrici, coram nobis, pro se et heredibus seu successoribus suis, fide in manu nostra prestita corporali, quod contra vendicionem predictam per se vel per alium non venient in futurum, et quod in predictis cuneis nichil de cetero reclamabunt, racione seu occasione quacumque, et quod predictam vendicionem domino regi garantizabunt contra omnes, renunciantes specialiter et expresse omni exceptioni non numerate pecunie, non tradite, non solute et omnibus aliis exceptionibus que de jure vel de facto possent obici seu proponi contra hoc instrumentum. In cujus

rei testimonium, sigillum Parisiensis curie presentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini M° CC° LX° quinto, die veneris ante Nativitatem Beate Marie.